

durato, sententiam ipsam aggravamus ex nunc prout ex tunc Venetiarum, paduana, veronensis, vicentina, cremonensis, brixienensis, tarvisiensis, pergamenensis, tergestinensis, tranensis, Brundisium, Hydruntum, monopolitanensis, a venetis prædictis etiam de facto tenta, possessa civitates, terras, castra et loca quaecumque, citra et ultra mare, ac in maritimis insulis consistentia, et quæ illis sunt ecclesias, monasteria ac religiosa et pia loca quaecumque, de eorundem fratrum consilio prædicta auctoritate, ecclesiastico subijcimus interdicto; ita ut, illo durante, in illis, etiam pretexto cujusvis etiam apostolici, indultis, 92 personis, ordinibus vel locis concessis, præterquam in casibus a jure præmissis, et etiam in illis aliis, quam clausis januis ac excommunicatis et interdictis exclusis, nequeant missæ et alia divina officia celebrari. Si vero moniti, excommunicati et interdicti prædicti per alios tres dies, dictos ultimos tres dies immediate sequentes, ad eor reverti, occupata restituere et nostris monitioni et mandato prædictis obtemperare distulerint, et in sua voluerint cordis duritia et perversa obstinatione remanere, eos et quemlibet eorum reaggravationis anathematizationis et maledictionis ac damnationis mucione percutimus, et omnium ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos et irretitos esse decernimus ipso facto, et eundem Leonardum, ducem, consilia rogatorum et generalis consilii et alias singulares personas communis Venetiarum, provisores, fautores, adhaerentes, complices et sequaces reliquosve monitos prædictos, excommunicatos, aggravatos, interdictos, reaggravatos, anathematizatos et maledictos, ut præfertur, in eorum protervia perseverantes, reos criminis læsæ majestatis et ab omnibus romanæ Ecclesiæ devotis, cum eorum bonis perpetuo diffidatos, dicta auctoritate et potestatis plenitudine decernimus, et generaliter civitates, oppida, terras et loca quaecumque, etiam ab eisdem venetis non possessa, ad quæ aliquem eorundem excommunicatorum declinare contingerit, quamdiu ibidem permanserit, et triduo post recessum ejusdem simili interdicto subijcimus; ac Leonardum ducatu Venetiarum, et ipsum nec non rogatos, consiliarios, provisores et alios monitos, dignitatibus et honoribus, in quibus constituti existunt, et tam ipsos in specie quam præfatum commune Venetiarum privilegiis, concessionibus, gratiis et indultis, nec non bonis omnibus, quæ in feudum vel emphiteusim seu aliud a romana vel aliis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis obtinent, ita ut illi, ad quos pertinent, de illis, utpote ad eos libere reversi, possint pro sua voluntate disponere, nec non

commune præfatum jure, si quod eis competit, in paduana, veronensi, vicentina, cremonensi, brixien- 92 si, tarvisiensi, pergamensi, tergestinensi, tranensi, brundusinensi, hydruntinensi, monopolitanensi et aliis civitatibus, terris, tam maritimis et insulis, quam terrestribus et locis eorum ditioni obtemperantibus, ac aliis eorum bonis, dicta auctoritate privamus, ita ut nil ex illis transmittatur ad posteros, et ipsos sic privatos respective ad illa et alia quaecumque dignitates, administrationes et officia sæcularia in posterum obtinenda, inhabilitamus, eorundemque monitorum subditos, vassallos et feudatarios et præsertim paduanæ, veronensis, vicentinæ, cremonensis, brixienensis, tarvisiensis, pergamenensis, tergestinensis, tranensis, brundusinensis, hydruntinensis, monopolitanensis aliarumque civitatum, terrarum et locorum etiam de facto per eos obtentorum, hujusmodi cives, incolas et habitatores ac fortiliciorum et artium in eis degentes, castellanos et custodes a quorumvis fidelitatis juramentorum, per eos dictis monitis non parentibus, præstitorum observatione, jure vasallatico et subjectione absolvimus et penitus liberamus. Et, ut alii, eorum exemplo perterriti, similia non attemptent, volumus et de simili consilio dicta auctoritate et potestatis plenitudine decernimus, quod Leonardus, dux, et alii, sic moniti, excommunicati, interdicti, iteratis vicibus aggravati, anathematizati, maledicti et privati, si in suo pessimo proposito non parendi hujusmodi monitionibus et mandatis nostris perseveraverint, ex tunc infames existant et ad testimonium non admittantur, testamenta et codicillos condere et ad alicujus successionem ex testato vel intestato pervenire non possint, et si jurisdictionem habeant causæ ad eorum examen deducantur, nec valeant eorum sententiæ vel processus nullus pro eis, nec ipsi pro aliis, in quacumque causa procurare possint, et si qui eorum notarii existant, instrumenta per eos confecta non valeant, sed cum auctore damnato damnentur, eorum debitores, ab his quæ eis debent liberati existant, nulli eis sed ipsi aliis super quocumque negotio de jure respondere teneantur, filii quoque et nepotes alique descendentes eorundem usque ad quartam generationem ecclesiis, monasteriis, canonicatibus, dignitatibus et aliis beneficiis [ecclesiis, monasteriis, canonicatibus, dignitatibus et aliis beneficiis (*sic*)] et officiis ecclesiasticis, quæ eos tunc obtinere contigerit, sine spe restitutionis eo ipso sint privati, et ipsis ac aliis natis tunc, et illis qui postmodum nascerentur, usque ad generationem prædictam, ad illa quibus sic privati forent, et alia ac ecclesias, monasteria, dignitates, administrationes et